

<https://www.thelatinlibrary.com/plautus/captivi.shtml>

in his diebus me reconciliassere.

nam eccum hic captivom adolescentem <intus> Aleum,
prognatum genere summo et summis ditiis: 170

hoc illum me mutare confido pote.

ERG. Ita di deaeque faxint. sed num quo foras

vocatus <es> ad cenam? **HEG.** Nusquam, quod sciam.

sed quid tu id quaeris? **ERG.** Quia mi est natalis dies;
propterea te vocari ad te ad cenam volo. 175

HEG. Facete dictum. sed si pauxillo potes
contentus esse. **ERG.** Ne perpauxillum modo,
nam istoc me assiduo victu delecto domi;
age sis, roga emptum: nisi qui meliorem adferet
quae mi atque amicis placeat condicio magis, 180
quasi fundum vendam, meis me addicam legibus.

HEG. Profundum vendis tu quidem, haud fundum, mihi.

sed si venturu's, temperi. **ERG.** Em, vel iam otium est.

HEG. I modo, venare leporem: nunc irim tenes;
nam meus scruposam victus commetat viam. 185

ERG. Numquam istoc vinces me, Hegio, ne postules:
cum calceatis dentibus veniam tamen.

HEG. Asper meus victus sane est. **ERG.** Sentisne essitas?

HEG. Terrestris cena est. **ERG.** Sus terrestris bestia est.

HEG. Multis holeribus. **ERG.** Curato aegrotos domi. 190
numquid vis? **HEG.** Venias temperi. **ERG.** Memorem mones.—

HEG. Ibo intro atque intus subducam ratiunculam,
quantillum argenti mi apud trapezitam siet.
ad fratrem, quo ire dixeram, mox ivero.—